

IOANNIS CHRYSIPPI FANIA-
NI DE ARTE METALLICÆ
Metamorphoseos ad Phi-
loponum.

N T E R ea, quæ de metallis proferuntur, nihil est admirabilius arte metallicæ metamorphoseos, ad quam accedunt aliæ duæ, vt sint tres in hoc genere, quibus imprimis vtamur, artes: vna fodiendarum (frustra enim aurum & argentum, æs, ferrum, natura diuina genuisset, nisi eadem docuisset, quemadmodum ad eorum venas perueniretur) altera liquandi metalla ipsa, seu pumices ærugicos, atque inde conficiendi quiduis, quæ & fabricis dicitur, & Chemitica ἀπὸ τῆς χημείας. Quæ d namque iuaueri iuuenta materia, nisi confectiois eius fabricam habemus? Tertia metamorphoseos, de qua hoc libro dicere instituimus, vocaturque Alchemistice, ab Alchemia? ἄλλα enim Græci salem appellant, χημείαν fusionem: & hæc ars circa fusilem quendam salem peculiariter versatur. Ita cum vtilitate, quam Deus hominibus dedit, ars aliqua coniuncta est, per quam illa vtilitas percipi possit. Duæ priores mechanicæ atque chirurgicæ: hæc vna pars est philosophiæ eius, quæ circa rerum naturam causasque vertitur. Docet enim & metallorum & cæterarum quoque rerum, quæ cum his aliquo naturæ vinculo coniunctæ sunt, naturas atque causas. Diuiditur autem in duas partes. Prima inuentionis est & Theorice dicitur. Secunda dispositionis, quæ Practice appellatur. Ergo primum de inuentione in qua metallorum naturam, non omnium quidem, sed eorum duntaxat, quæ ad opus ipsum metallicæ metamorphoseos propius accedunt, inuestigabimus: post de secunda parte dicemus. Metalla alia opibus, alia delicijs, alia emeritati fodiuntur: Nam aurum cui per sæpe æs: & argentum, cui stannum & plumbum adnascitur, diuitiarum, vt ferrum belli celisq;, & gemmæ pigmentaq; voluptatis gratia quæruntur. Metalla autem Græci vel ἀ μεταλλάω, quæ perscrutor significat: (Solumus. n. intra terræ venas metalla scrutari) vel ἀπὸ τῆς μετὰ τὰ ἄλλα εὐρεῖσθαι, quæ alia post alia inueniantur. Ita Plin. quæ vbicumque inuenta vena est, non procul inuenitur alia, quæ quidem & in omni fere materia, metalla Græcis dicta existimat. Aurum ex sulphure

Ars ad
metallica
multiplex

Ars Che-
mistica.

Alchemi-
stice.

Diuisio
artis.

Finit mul-
tiplex stu-
dium me-
tallorum.

Metalla
vnde.
Nouatio.